

DE OPERIBUS PUBLICIS.

8.12.1

Impp. Constantinus et Constans AA. ad Catullinum.

Plurimi immunitates operum publicorum concessione iudicum adepti sunt: et ideo iubemus in posterum illicitas immunitates nullius esse momenti.

D. VI k. Aug. Sirmi Urso et Polemio cons. [a. 338]

8.12.2

Idem AA. ad Marcellinum comitem Orientis.

Quae operibus publicis impensa constiterit, accepto ferri oportere cognoscas.

D. V non. Oct. Constantinopoli Limenio et Catullino cons. [a. 349]

3 [Ἀντοκράτωρ Ἰουλιανὸς Α.]

Καὶ περὶ τοῦ εἰς τόπον τῆς πόλεως κτίσαντος οἰκείους δαπανήμασιν, ἐν ᾧ μὴ βλέπτει τὴν πόλιν, πῶς ἴδιον ὀφείλει ἔχειν τὸ κτισθέν . [a. 362]

id est: Et de eo, qui in publico civitatis loco suis sumptibus aedificaverit, quo civitati damnum non infert, quemadmodum aedificium ut proprium tenere debeat.

8.12.4

Idem A. Ecdicio. praefecto Aegypti.

Praetoria iudicum et domos publicas oportet publico iuri atque usui semper vindicari.

PP. III non. Dec. Antiochiae Mamertino et Nevitta cons. [a. 362]

8.12.5

Impp. Valentinianus et Valens AA. ad Symmachum pu.

Intra urbem Romam veterem et novam nullus iudicum novum opus informet, quotiens serenitatis nostrae arbitria cessabunt, nisi ex suis pecuniis huiusmodi opus construere voluerit.

1 ¶ Ea tamen instaurandi, quae iam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, universis licentiam damus.

D. VIII k. Iun. Philippis divo Ioviano et Varroniano cons. [a. 364]